

bè confideret, Förster. p. 15. (β) *Antecedentia, consequentia & circumstantias*, tum (γ) *Naturam subjecti & Prædicati* observet. Förster. p. 15. Proæm. p. 36. 44.

XXIV. Porro in id quoq; incumbendum erit fideli Scripturæ Interpreti, ut textum *authenticum* rectè perscruterur, & singularum vocum Emphasin inquirat, differentiam item inter cognata vocabula in eadem, & convenientiam in diversis lingvis observet, sine quo aliàs rerum explicatio subsistere nequit. Tarn. p. 91. 92. Fontes itaq; in Scripturæ explicatione semper sunt inspiciendi, tanquàm fundamenta, quibus totius Christianæ Religionis dogmata superstruuntur. Tarnov. Ibid. Proæm. p. 38. vid. supr. Thes. VI. Observasse hoc accuratissimè in translatione Bibliorum D. Lutherum, D. Beringer pluribus ostendit in *Rettung der Deutsch. Bibel Luth.* contra verò tot errores Vulgatæ à fontibus secedentis, & Zangeri hanc sequentis ab eodem Beringero notantur, vide exempla allegata à pag. 108. ad 150.

XXV. Imprimis etiam hoc observandum esse monent Philologi, singula in fontibus themata unam tantum eamq; propriam & principalem obtinere significationem, nec plures, exceptis tantum illis, quæ in Conjugatione vel unâ vel pluribus, contrarias habent significationes. Förster. p. 15. 37. Hackspan p. 155. Hottinger p. 156. Quæ prima & propria radicis significatio pendet (1.) ex origine, cum nomen à verbo, quod est usitatissimum, aut contra verbum à nomine descendit. (2.) Ex usu Auctorum, si pleriq; omnes vocabulo eodem sensu utantur, & quidem frequenter. (3.) Ex Harmoniâ reliquarum Orientalium Lingvarum. Hackspan p. 156. Ab hac vocum derivatarum significatio deducitur vel per Metaphoram, vel aliâ de causâ simili. M. Marinus p. 61. 62. Hinc in Scripturæ sensu eruendo, primario illi primi thematis significatui semper in hærendum, ad eumq;, tanquàm ad Columnam ignis, respiciendum, quoties voci à radice deductæ propria significatio est attribuenda. Hoc enim qui non attendet, in labyrinthos se abdet inexplicabiles. Proæm. p. 121. Förster p. 16. 17. 20.